

Horum sunt tripudia solissima. Hi magistratus nostros quotidie regunt, domosque ipsis suas claudunt aut reserant: hi fasces Ro. impellunt aut retinent, iubent acies aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices: hi maxime terrarum imperio imperant, extis etiam fibrisque; haud aliter quam opima victimae diis grati. Habent ostenta et praeposteri eorum vespertinique cantus. Namque totis noctibus canendo, Bœotius nobilem illam aduersus Lacedæmonios praesagiungere victoriam, ita coniecta interpretatione, quoniam uicta ales illa non caneret. Desinunt canere castrati, quod duobus fit modis, lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus: mox vlcere oblito figlina creta: facilius ita pinguescunt. Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publice editur ceu gladiatorum. Inuenitur in annalibus, in Ariminensi agro M. Lepido, Q. Catulo COSS. in villa Galerij locutum gal linaceum, semel quod equidem sciam.

De anseribus, & quis primus iecur anserinum comederit, & de adipe anserino Comageno. CAP. XXII.

Est et anseri uigil cura Capitolio testata defenso, pro id tempus canum silentio proditis rebus. Quobrem cibaria anserum censores in primis locant. Quin et fama amoris, Argis dilecta forma pueri nomine Oleni, et glauces Ptolemæo regi cithara canentis, quæ eodem tempore et aries amasse proditur. Potest et sapientia uideri intellectus eius esse. Ita comes perpetuo adhaesisse Lacydi philosopho dicitur, nusquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, non interdum digressus. Nostri sapientiores, qui eos iccoris bonitate nouere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemptum quoque lacte nullo augetur. Nec sine causa in quaestione est, quis primus tantum bonum inuenierit, Scipio Metellus uir consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Ro. Sed (quod constat) Messalinus Cotta, Messala oratoris filius, palmas pedum in his torrere, atque patinis cum gallinaceorum crustis condire reperit. Tribuetur enim a me culinæ cuiusque palma cum fide. Mirum in hac alite, a Morinis usque Romanam pedibus uenire. Fessi proferuntur ad primos, ita ceteri stipatione naturali propellunt eos. Candidorum alterum uestigial in pluma. Velluntur quibusdam locis bis anno. Rursus plumigeri uestiuntur: molliorque, quæ corpori quam proxima, et est Germania laudatissima. Cædidi ibi, uerum minores, ganza uocantur. Pretium plumæ eorum, in libras denarij quini. Et inde crimina plerumque; auxiliorum præfectis, a uigili statione ad hæc aucupia dimissis cohortibus totis. Eoque; deliciae processere, ut sine hoc instrumento durare iam ne uirorum quidem ceruices possint. Aliud reperit Syriæ pars, quæ Comagene uocatur: adipem eorum in vase æreo cum cinnamo niue multa obrutum, ac rigore gelido maceratam, ad usum præclari medicaminis, quod ab gente dicitur Comagenum. Anserini generis sunt chenalopes, et quibus lautiores epulas non nouit Britannia

chenerotes, fero anseres minores. Decet tetraonas suis uitor, absolutaque nigritia, in supercilys cocci rubor. Alterum eorum genus uulturum magnitudinem excedit, quorum et colorem reddit. Nec ulla ales excepto struthio camelo maius corpore implet pedus, in tantum aucta, ut in terra quoque immobilis præhendatur. Gignunt eos alpes, et septentrionalis regio. In auarijs saporis perdunt. Moriuntur contumacia spiritu reuocato. Proxima eis sunt, quas Hispania aues tardas appellat, Græcia otidas, dænatas in cibis. Emissa enim ossibus medulla, odoris tedium extemplo sequitur.

De gruibus, ciconijs, oloribus, & peregrinis auibus, & coturnicibus, & glotte. CAP. XXIII.

Inducias habet gens Pygmæa abscessu gruuum (ut diximus) cum ijs dimicantium. Immensus est tractus quo ueniunt, si quis reputet a mari eoo. Quando profisciscantur consentiunt, uolant ad prospiciendum alte, ducem quem sequantur eligunt: in extremo agmine per uices, qui acclament, dispositos habent, et qui gregem uoce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno et decidens, indiligentiam coarguat. Ceteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto prouidet collo, ac prædicat. Eadem mansuefacta lasciuunt, gyrosque quosdam indecoro cursu uel singula peragunt. Certum est, Pötum transuolaturas, primum omnium angustias petere, inter duo promontoria Criumetopon et Carambin: mox saburra stabiliri, cum medium transierint, abici lapillos et pedibus, cum attigerint continentem, et è gutture barenam. Cornelius Nepos, qui diui Augusti principatu obiit, cum scriberet turdos paulo ante ceptos saginari, addidit ciconias magis placere quam grues: cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo uelit attigisse. Ciconia quoniam è loco ueniant, aut quo se referant, incertum adhuc est. E longinquo uenire non dubium, eodem quo grues modo: illas hyemis, has æstatis aduenas. Abitura congregantur in loco certo: comitatæque; sic, ut nulla sui generis reliquatur, nisi captiua et serua, ceu lege prædicta die recedunt. Nemo uidit agmen discedentium, cum discessurum appareat: nec uenire, sed uenisse cernimus: utrunque nocturnis fit temporibus. Et quæuis ultra citraue peruolent, nunquam tamen aduenisse usquam, nisi noctu existimantur. Pythonos comen uocant in Asia patentibus campis, ubi congregata inter se commurmurant, eam quæ nouissima aduenit lacerant, atque ita abeunt. Notatum, post Idus Aug. non temere uisas ibi. Sunt qui ciconijs non inesse linguas confirmant. Honos ijs serpentium exitio tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse, eademque; legibus pæna, quæ in homicidâ. Simili anseres quoque; et olores ratione coment, sed horum uolatus cernitur: liburnicarum more rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si recta fronte impellerent: a tergo sensim dilatate se cuneo porrigitur agmen, largeque impellenti præbetur aura. Colla impo-